An. et vol. XXXIII 10 Maii 1941 (Ser. II, v. VIII) – Num. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Litterae Decretales, p. 137 – Litterae Apostolicae, p. 152 – Epistula, p. 153 – Allocutio, p. 155.

Acta SS. Congregationum: *S. C. de Propaganda Fide*: Decretum, p. 165 – *S. C. Rituum*: I. Decretum introductionis causae beatificationis Servae Dei Mariae a Iesu de Bono Pastore, in saeculo Franciscae de Siedliska, p. 166. II. Decretum introductionis causae beatificationis Servae Dei Mariae Fortunatae Viti, p. 168.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citationes edictales, p. 171.

Acta Officiorum: *Pont. Commissio ad codicis canones authentice interpretandos*: Responsa ad dubia, p. 173.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni varie – Segreteria di Stato: Nomine, pp. 174-176.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XLI

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 35 — extra Italiam, *L. it.* 55 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 4 — extra Italiam, *L. it.* 4,50

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXIII, n. 5 - 10 Maii 1941)

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

PAG.

Errantes oves. - Beatae Mariae a S. Euphrasia Pelletier, Virgini, Sanctorum honores decernuntur. - *2 Maii 1940* . 137

LITTERAE APOSTOLICAE

Inter Sacras Aedes. - Dignitate ac titulo Basilicae Minoris honestatur Cathedralis Ecclesia Antioquiensis, Deo in honorem B. Mariae Virginis Immaculatae dicata. - *21 Martii 1941* . . . 152

EPISTULA

Nonagesimum aetatis annum. - Ad Emum P. D. Ianuarium Episcopum Ostiensem et Albanensem S. R. E. Cardinalem Granito Pignatelli di Belmonte, Sacri Collegii Decanum, eumdemque Sacrae Congregationis Caeremonialis Praefectum, nonagesimum aetatis annum feliciter explentem. - *3 Aprilis 1941* 153

ALLOCUTIO

Beatissimus Pater adlaborantibus in Actione Catholica ex Studiorum Italiae Universitatibus, die 20 mensis Aprilis a. 1941, haec verba fecit 155

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

De Niangara - De Bondo. - Decretum. Dismembrationis et unionis. - *3 Aprilis 1941* 165

SACRA CONGREGATIO RITUUM

PAG.

I. *Romana seu Varsavien.* - Decretum introductionis causae beatificationis Servae Dei Mariae a Iesu de Bono Pastore, in saeculo Francisca de Siedliska, Fundatricis Instituti Sacrae Familiae a Nazareth. - *4 Decembris 1940* 166

II. *Verulana.* - Decretum introductionis causae beatificationis Servae Dei Mariae Fortunatae Viti, monialis conversae professae Ordinis S. Benedicti. - *5 Februarii 1941* 168

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales:

I. Ventimilien. - Nullitatis matrimonii (Raimondi-Lombardo). - *24 Aprilis 1941* 171

II. De Peramiho. - Nullitatis matrimonii (Landulira-Ndunguru). - *26 Aprilis 1941* 172

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

Responsa ad proposita dubia. - *8 Aprilis 1941* 173

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 174

II. Segreteria di Stato: *Nomine* 174

An. et vol. XXXIII 10 Maii 1941 (Ser. II, v. VIII) – Num. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

BEATAE MARIAE A S. EUPHRASIA PELLETIER, VIRGINI, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Errantes oves omni studio ad ovile esse reducendas miserentissimus Redemptor Noster, qui, vere *Bonus Pastor, animam suam dat pro ovibus suis,* quique in mundum venit ut *salvum faceret quod perierat,* non semel verbo et exemplo docuit.

Christi Domini admirabilem in peccatrices quoque feminas mansuetudinem divinamque clementiam imitantes, plerique in Ecclesia floruerunt eximii sanctitate viri et mulieres, qui in hoc praecipue operam contulerunt, ut ad salutis viam reducerent illos qui, mundi aliquando illecebris ac voluptatibus adlecti, ab ea deflexerant. Quos inter christianae religionis heroës iure meritoque adscribenda est fortis illa mulier, Maria a S. Euphrasia Pelletier, catholicae Galliae decus, quam hodie immarcescibili sanctorum corona augere Nobis, Deo favente, datum est, quamque Deus ad hoc praecipue destinasse visus est, ut nempe perditarum mulierum resipiscentiae per eius Institutum, quod a *Bono Pastore* nuncupatur, altera veluti salutis tabula in naufragio offerretur.

Civilibus seditionibus in Gallia furentibus ac teterrima in catholicam religionem eiusque administros persecutione saeviente, anno millesimo septingentesimo nonagesimo sexto, die Iulii mensis trigesima prima

ex piis honestisque parentibus Iuliano et Anna Mourain ortum illa habuit in *Noirmoutier* insula, intra dioecesis Lucionensis fines, in quam illi, ut avitam fidem et pacem securius tutarentur, ex oppido *Soullans*, ubi domicilium habebant, paullo ante secesserant.

Cum autem in illa omnium rerum perturbatione nullus praesto esset sacerdos, qui Baptismatis sacramentum natae ministraret, pater ipse, matre adstante, infantulam domi lustralibus aquis abluit, eique Rosam et Virginiam nomina imposuit.

Optime a parentibus instituta est puella, quae fervidam licet, sed bonam, sortita est indolem, quaeque iam a puerili aetate animi candore, pietate, ac potissimum erga pauperes et egenos misericordia praeditam se ostendit.

Undecimum agens annum, civilium seditionum furore mitigato et civibus pace, religioni libertate aliquantum reddita, Rosa ad sacram Synaxim primum admissa fuit, ad quam magno animi fervore et gaudio accessit. Puella autem, ut ipsamet multos post annos enarravit, se ad religiosam vitam vocatam tunc sensit. Confirmationis vero sacramentum paulo post, Aprili mense, anno millesimo octingentesimo octavo recepit.

Aetate pariter ac virtutibus crescens, post immaturam patris mortem, moerentissimae matris dolorem consolari atque mutuam caritatem et concordiam domi fovere omni studio curavit.

Quatuor post annos Rosae mater, *Noirmoutier* insula relicta, *Soullans* oppidum repetit. Quo autem Filiae institutioni aptius consulere posset, eam Turones duxit ut in Sororum S. Ursulae ephebeo humanis litteris institueretur.

Ibi degens Rosa morum puritate ac disciplinae amore semper enituit. S. Teresiae autem operum lectio, cui assidue vacabat, eius pietatem sic auxit ut mundo penitus valedicere magis in dies optaret. Quod quidem desiderium, post piae matris obitum, adeo crevit ut illa, quo in animarum salutem impensius adlaborare posset, alicui religiosae familiae nomen dare statueret.

Iampridem Turonibus quaedam exstabat domus, cui nomen *Refugium,* sub cura Nostrae Dominae a Caritate Monialium, quas S. Ioannes Eudes anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo Cadomi instituerat, in qua peccatrices feminae excipiebantur, ut, e vitiorum caeno redemptae, christianarum virtutum exercitio, ac sanctae potissimum illarum monialium vitae exemplo, ad honestam reducerentur viam.

Apostolicum huiusmodi Sororum *Refugii* vitae genus, cui peculiari illae voto adstringebantur, Dei Famulam, quae ardenti aestuabat desiderio animas maiori quo posset numero Christo lucrifaciendi, ad Insti-

tutum illud amplectendum vehementer alliciebat. Quare, non paucis difficultatibus, praesertim ex tutoris parte, superatis, Turonensem illam *Refugii* domum ingressa est; ibique octava die Septembris mensis, anno millesimo octingentesimo quinto decimo, religiosas vestes et *Mariae a Sancta Euphrasia* nomen accepit. Sui ardentissimi voti compos effecta, ad regularem observantiam ita animum applicuit, ut ceteris omnibus exemplo esset. Biennio post tirocinio expleto, die nona mensis Septembris, gaudio gestiens, religiosa vota nuncupavit, quarto addito Congregationis proprio, apostolatum videlicet inter poenitentes mulieres sedulo exercendi. Non multo post a *Refugii* domus antistita digna habita fuit, cui poenitentium eiusdem domus mulierum cura et regimen committeretur. Perarduo sibi commisso munere, ad quod recte adimplendum provecta requiritur aetas ac maturum iudicium, Maria a S. Euphrasia singulari functa est sapientia et caritate, cunctis sororibus omnino adprobantibus. Nihil inde mirum quod octavo a nuncupatis votis anno nondum elapso, obtento prius, ob aetatis defectum, ab Apostolica Sede indulto, unanimi Sororum suffragio ipsius *Refugii* domus moderatrix renunciata fuerit, quamvis trigesimum nondum attigisset annum. Nec illa sociarum spem et exspectationem fefellit; concreditam namque sibi familiam summa prudentia et humanitate regendam suscepit.

Cum autem in eadem Turonensi *Refugii* domo poenitentes non paucae, regularis observantiae amore allectae, se Deo mancipare per religiosa vota exoptarent, pium hoc desiderium sagacissima domus Moderatrix lubentissime explevisset, nisi ipsius fundatoris S. Ioannis Eudes constitutiones obstarent, a quibus inter sanctimoniales Nostrae Dominae a Caritate cooptari poenitentes vetabantur; cumque illarum plures in alia religiosa instituta ingredi frustra petiissent, Dei Famula, piorum sacerdotum consiliis adhibitis ac divina ope implorata, quamdam religiosam familiam constituit, cui *A Sancta Magdalena Poenitentes* nomen atque peculiares vestem et regulas dedit; eamdemque sub unius e sororibus *Refugii* domus regimine curaque posuit. Dum haec Turonibus geruntur, quidam Andegavensis urbis cives de instaurando opere *a Bono Pastore* nuncupato, cuius domum publicae seditionis impetus exstinxerat, consilium ceperunt. Quare, stipe collata, novam condere domum statuerunt, in qua, veluti in Turonensi *Refugii* domo, iuxta S. Ioannis Eudes instituta, poenitentes mulieres recipi possent. Rem vigilantissimus Andegavensis Praesul toto corde probavit et Mariae a S. Euphrasia, cuius prudentia in rebus agendis sibi nota erat, committendam censuit. Illa itaque, facultate a Turonensi Archiepiscopo impetrata, Andegavum se contulit atque Iunio mense, Pentecostes vigilia, anno millesimo

octingentesimo vigesimo nono, domum, in qua suscitatum Boni Pastoris opus conlocandum erat, una cum aliis quinque sororibus, ex Turonensis *Refugii* domo adlectis, ingressa est, et novae institutioni dedit initium.

At, cum in id sedulo incumberet, Turones arcessitur ut ibi triennale sibi commissum Antistitae munus absolveret. Quo expleto, Andegavum anno millesimo octingentesimo trigesimo primo, Maio mense, reversa est, ut illic *Boni Pastoris* domui, quam ipsamet condiderat, praeesset. Magno cum gaudio a sororibus, quas ibi reliquerat, excepta, vix dici potest quot quantosque labores suscepit sollertissima Antistita ut inceptum opus ad finem perduceret. Iam inde ab initiis difficultates et simultates non defuere. Rei familiaris penuria ac durissima rerum omnium egestas, quae ad vitam sunt necessaria, enascentem institutionem gravarunt. At prudentissima Moderatrix, alacri in Deum fiducia excitata, mira constantia et fortitudine adversa omnia vincere conabatur. Haec sane fuerunt ardua Andegavensis domus primordia, ex qua postea, ampliata ac novata, suam duxit originem Congregatio illa cui haud immerito *Boni Pastoris* nomen adhaesit. Bonus namque Pastor gregem suum a noxiis pascuis vigilanter amovet, ab hostili aggressione strenue tuetur, errantes oves impigre quaerit et ad ovilem reducit. Quam Congregationem, humili tam loco natam, hodie per universum christianum orbem ita diffusam conspicimus, ut tercentae plane domus ubique terrarum nunc exstent, in quibus Dei famularum plura millia in animarum salutem impense incumbunt.

Praeprimis Maria a S. Euphrasia sacellum in Andegavensi domo condendum curavit. Ad quod exstruendum et plurium benefactorum liberalitas expensas suppeditavit et ipsae religiosae sodales earumque tirunculae, ipsa moderatrice praeeunte, alacres admovere manus, ita ut, breviter expletum, die decimaquarta Maii mensis, anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio Immaculatae Conceptioni B. Mariae Virginis dicari licuerit.

Omnem exinde curam industriamque Dei famula convertit ad perficiendum amplificandumque Institutum, in quo poenitentibus mulieribus, numero maxime auctis, alterum adiunxit earumdem coetum illi similem quem in Turonensi *Refugii* domo instituerat, a Sancta Magdalena nuncupatum. Item in Andegavensi domo orphanotrophium pro puellis erexit, quas ipsius urbis Episcopus eius curia concreditas voluit. Orphanotrophii institutionem aliae secutae sunt, quae, tamquam unius parentis filiae, ab impensissimo studio, quo Dei Famula pro animarum salute flagrabat, genitae sunt. Interim novi Instituti fama longe lateque dif-

fundebatur, ita ut plures Galliarum Episcopi vehementer exoptarent ut ipsius Congregationis domus in sua dioecesi aperiretur. Quod profecto evenit in Cenomanensi, Pictaviensi, Gratianopolitana et Metensi urbibus. Domorum autem numero sic aucto, plane intellexit sagax Antistita difficillimum esse religiosi spiritus unitatem obtineri atque diu concordiam asservari posse diversas inter aedes singulorum locorum Ordinariis penitus subiectas; non mediocrem vero utilitatem universae Congregationi orituram, si communi et uniformi regeretur gubernatione, in qua cuiusvis Instituti robur et regularis disciplinae vita fere consistit. Cui proposito assequendo nihil magis opportunum et congruum ei visum est quam domos singulas, vel iam conditas, vel in posterum condendas, Andegavensi domui subiici, et Antistitam Generalem universae Congregationi praefici. At ex huiusmodi proposito, licet Episcopi Andegavensis aliorumque prudentissimorum virorum approbatione fulto, gravis orta est contentio.

Nam acerrime obstiterunt tum Moniales Dominae Nostrae a Caritate praesertim Turonensis domus, hoc unum pertimescentes ne veteres Instituti constitutiones everterentur; tum Patres Eudistae veriti ne propositum illud omnem ipsis auctoritatem foret adempturum, quam in omnes Refugii domos se habere autumabant, eo quod communem cum istis parentem haberent S. Ioannem Eudes; tum denique nonnulli Galliarum Episcopi, qui aestimabant suam quodammodo minui auctoritatem, si Boni Pastoris domus ab Ordinariorum iurisdictione subtraherentur. Quae dissensiones haud poterant magno non afficere dolore Mariam a S. Euphrasia, sed eius animum frangere atque constantiam labefactare minime potuerunt. Res, prout oportebat, Apostolicae Sedis iudicio delata est, apud quam strenuum illa invenit patronum Dei Servum Carolum Cardinalem Odescalchi, Generalem Urbis Vicarium, qui causam coram Romano Pontifice tuendam sibi sumpsit.

S. Congregatio Episcoporum et Regularium, ad quam de re iudicare pertinebat, omnibus perpensis, rescripto diei nonae Ianuarii mensis anno millesimo octingentesimo trigesimo quinto, Dei famulae propositum probavit; quod decretum fel. rec. Gregorius Papa Decimussextus die decima sexta eiusdem mensis ratum in omnibus habere dignatus est.

Cum vero, etiam post hanc supremam approbationem non defuissent qui Romanum Pontificem fuerint deprecati ut praefatum decretum revocaretur, idem Praedecessor Noster, re diligenti examini denuo subiecta, Apostolicis Litteris die tertia mensis Aprilis eodem anno datis, Decretum illud solemniter confirmans, totius novae *Congregationis Filiarum Beatae Mariae Virginis a Caritate Boni Pastoris* generalem Praesidem

renunciavit Andegavensis domus Moderatricem, ipsamque Andegavensem domum constituit totius Congregationis principem ac tirocinii generalis sedem.

Patuit exinde Boni Pastoris Congregationi tutum sane spatium ut sua undequaque agmina dilataret; atque, quamvis Apostolicae Sedis oraculum non omnino illico obstruxisset adversariorum ora, magis in dies Institutum diffundebatur. Et in hanc quoque almam urbem Cardinalis ille Odescalchi anno millesimo octingentesimo trigesimo octavo *Boni Pastoris* moniales arcessivit, ut foeminarum in custodiis degentium curam atque regimen susciperent. Libentissime Dei famula huic voluntati obsequuta est et cum nonnullis sororibus Romam petiit, laeta quidem sibi occasionem praeberi Apostolorum limina venerandi ac devoti gratique animi sensus supremo Ecclesiae Pastori verbis aperiendi. Romae, Gregorius Papa Decimussextus, die quintadecima Iunii anno millesimo octingentesimo trigesimo octavo, eam humanissime ad colloquium admisit.

Tum Monialibus a *Bono Pastore* commissum fuit vetustum S. Crucis monasterium, vulgo *Le Scalette* nuncupatum, in via cui nomen *della Lungara* situm, in quo poenitentes mulieres recipiebantur. Quae prior fuit in Urbe novae Congregationis domus. Romae mansit Dei famula usque ad quartam diem Iulii mensis. Andegavum reversa nihil intentatum reliquit, nullique labori aut industriae pepercit ut sua Congregatio, etsi iam satis solida lateque florescens, uberiora in dies adipisceretur firmitatis et amplitudinis incrementa. Nova proinde coenobia ubique erigenda curavit tum in ipsa Gallia, tum apud exteras gentes, in Chamberiensi nempe ac Niciensi urbibus, sub Sardiniae Regis ditione tunc exstantibus, in Belgica, in Bavaria, in Anglia, in Germania, in Austria, ubi domus in *Neudorf,* prope Vindobonam, ipsius Francisci Iosephi Imperatoris nutu et sumptibus, condita est. In Italia quoque novae erectae sunt domus tum in Imolensi urbe, cui tunc Episcopus praeerat Cardinalis ille Ioannes Maria Mastai Ferretti, qui ad supremum Pontificatum postea evectus nomine Pii Noni, Congregationi a *Bono Pastore* benevolum semper se praebuit; tum in hac alma Urbe, ubi altera Sororibus a *Bono Pastore* domus moderanda concredita fuit, non longe a Lateranensi Basilica sita, et a S. Maria Lauretana nuncupata, in qua pauperes mulieres ad sanitatem post aegram valetudinem roborandam opportunum invenirent refugium. Ita novae Congregationis domorum numerus magis in dies in Europa excrescebat. Quod quidem, etsi non mediocre, incrementum satis tamen non erat indefesso Mariae a S. Euphrasia zelo, quae ferventi desiderio flagrabat nedum ad dissitas, sed ad

barbaras quoque gentes suae Congregationis beneficia propagare. Cuius tandem voti Dei famula compos facta est quum anno millesimo octingentesimo quadragesimo secundo nonnullas africanas puellas, quas pius quidam Ianuensis Presbyter ab ethnicorum potestate redemerat, in Andegavensi domo alendas suscipere laeto animo potuit. Hinc sane initium fuit propagationis Instituti a Bono Pastore inter infideles nationes. Passim enim in Aegypto, in Algeria, in Canadensi ditione, in Australia, in Arabia, in Indiis quoque domus erectae fuere, in quibus sorores variis iuxta locorum necessitates charitatis operibus alacriter vacabant ad alios adiuvandos et sublevandos. Ut omnia haec feliciter ac prospere evenirent Dei famula ex Andegavensi domo summa vigilabat prudentia et assiduo studio, nullis laboribus aut adversitatibus, quae revera non defuere, deterrita; quotidie sororibus ac tirunculis non modo voce scriptisque, sed praecipue operibus, mirum praebens virtutum omnium exemplum. Illa namque tum fide, quae, iuxta Chrisostomi sententiam, *cunctarum virtutum fons est et origo,* heroice enituit, tum spe, quam validam ac firmissimam habuit, tum caritate in Deum et in proximum, quae in operibus ipsis ab ea institutis clarissime eluxit. Nec minus prudentia, iustitia, fortitudine, temperantia, ceterisque virtutibus praestitit. Observantissimam denique in Romanum Pontificem et Apostolicam Sedem toto vitae suae cursu se praebuit, quibus illa suum Institutum peculiari modo devinctum voluit.

Nec postremis quoque vitae suae annis studium et industriam, quibus Congregationis progressus fovebat, Maria a S. Euphrasia, quamquam non optima gaudebat valetudine, minuit. Sed tot tantique labores, ad maiorem Dei gloriam et proximi salutem assidue exantlati, eius vires denique fregerunt.

Ipsa enim die vigesima quarta mensis Aprilis, anno millesimo octingentesimo sexagesimo octavo, aetatis suae septuagesimo secundo, sororibus supremis monitis relictis et Ecclesiae Sacramentis pie susceptis, placidissime obdormivit in Domino, tum sororibus tum omnibus Andegavensibus civibus moerentibus.

Corpus eius, ut ipsamet optaverat, in Andegavensis domus sacello, Immaculatae Conceptionis dicato, tumulatum est. Praeclarissima atque late diffusa sanctitatis fama, qua Maria a S. Euphrasia adhuc vivens honestabatur, post eius obitum non minuit, sed confirmata atque in dies aucta est ob prodigia potissimum, quae ipsius intercessione a Deo patrata ferebantur. Quare de beatorum Coelitum honoribus eidem decernendis cogitatum est et Causa postea penes Sacrorum Rituum Congregationem agitari coepta est. Processus igitur ordinaria auctoritate

in Andegavensi Episcopali Curia constructi fuere. Quibus rite confectis atque ad S. Rituum Congregationem delatis, ibique canonice excussis, Leo Papa Decimus tertius, Praedecessor Noster, die undecima Decembris mensis, anno millesimo octingentesimo nonagesimo septimo introductionis Causae commissionem signavit. Apud eamdem S. Congregationem peractis dein Processibus Apostolicis, iuridica servata forma, de venerabilis Servae Dei virtutibus disceptatum est, quas quidem Pius Papa Undecimus heroicum attigisse gradum die vigesima quarta Februarii mensis, anno millesimo nongentesimo vigesimo quarto solemniter edixit. Inquisitionibus postea conditis super duabus miris sanationibus, quae, Venerabilis Mariae a S. Euphrasia patrocinio, Omnipotens Deus operatus esse dicebatur, idem Praedecessor Noster die octava Ianuarii mensis anno millesimo nongentesimo trigesimo tertio solemniter decrevit: *Constare de duobus miraculis, Ven. Maria a S. Euphrasia intercedente, a Deo patratis, videlicet: Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Magdalenae Hodges a cancere stomachum et intestina pervadente in sinistro hypocondrio; nec non: Instantaneae perfectaeque sanationis puellae Mariae Olive, quam gravissimus nasi morbus (lupus) afflictabat.*

Paulo post, die nempe quinta mensis Februarii, eodem anno, idem Antecessor Noster decretum edidit: Tuto *procedi posse ad sollemnem Ven. Mariae a S. Euphrasia Pelletier beatificationem.*

Cuius quidem sollemnia in Vaticana Basilica, frequenti populo stipata, et plurimis Congregationis a Bono Pastore sodalibus adstantibus, die trigesima insequentis Aprilis mensis celebrata sunt. Novis vero miris accedentibus sanationibus, quae, novensilis Beatae nomine invocato, a Deo patrata ferebantur, enixe Apostolicae Sedi porrectae sunt preces ut Causae reassumptionem, ad praeclarissimae Virginis illius Canonizationem obtinendam, Summus Pontifex decernere dignaretur. De qua re, cum in ordinario S. Rituum Congregationis conventu die octava Maii mensis, anno millesimo nongentesimo trigesimo quarto disceptatum esset, et Patres Cardinales *affirmative* respondissent, postridie Pius Papa undecimus reassumptionis Causae decretum propria manu signavit.

Duo ergo nova miracula a dilecto Filio Gabriele Mallet, e Congregatione Iesu et Mariae, sollertissimo Causae Postulatore, Apostolicae Sedi proposita sunt.

Primum contigit Mariae Aloisiae Pouget, Ioannis et Mariae filiae in *Margeviols* Galliae oppido, natae, quae, cum a tubercolotica nutrice lac in infantia sumpsisset, a prima adolescentia multiplicibus laboravit morbis. Anno autem millesimo nongentesimo vigesimo octavo purulenta gonarthrite tubercularis indolis in genu dextero tentari coepit, et bien-

nio post ob appendicitem, eiusdem et ipsam forsan naturae, chirurgicam passa est operationem. Ab hoc morbo aliquantum refecta, in domum a *Bono Pastore, Charenton* in oppido, recepta est. At paulo post dolores in genu rediere atque adventicii tumores, et ipsi purulenti, in infirmae collo excreverunt, quibus adhuc saevientibus morbis, tubercularis peritonites supervenit. Quae morborum syndrome anno millesimo nongentesimo trigesimo tertio aegrotam ad extremum adduxerat, adeo ut a curatione medici de eius valetudine desperarent. Incassum itaque omnibus curationibus cedentibus, iteratis precibus B. Mariae a S. Euphrasia patrocinium invocatum est. Die autem trigesima Decembris mensis, eodem anno, hora post meridiem tertia, Maria Aloisia repente se sensit perfecte sanatam : doloribus, quibus acerrime cruciabatur cessantibus, electo surgit, sive impedimento ambulat, scalas sine ullo fulcimento descendit ascenditque, communibus cibis se nutrit, communem ceterarum puellarum vitam agere repetit, taliaque illico peragit, quae valetudinem plene recuperatam manifeste ostendunt, quod ex pio quoque *horae sanctae* exercitio, genibus flexis, sequenti die integre celebrato confirmatur. Sanationem hanc naturae vires excedere medicus a curatione postridie affirmare non dubitavit.

Nec minus perspicuum se praebet miraculum alterum, quod accidit. Honorinae Moschetti Niciensi in urbe natae ex parentibus Basilio et Maria. Anno millesimo nongentesimo trigesimo tertio illa, quae a pueritia morbos varios passa fuerat, peritonite affecta est, de cuius quidem tuberculari natura dubitari non poterat.

Ceterum morbus adeo gravis evaserat, ut totum Honorinae corpus corrumperet, atque pus, graveolens sanies infectusque sanguis foras erumperet. Anno autem millesimo nongentesimo trigesimo quinto morbi, a quibus Honorina, in domo *a Bono Pastore,* in Cannensi urbe, interim recepta, afflictabatur, in peius ruerunt, atque serotinis diei vigesimae nonae Aprilis mensis horis, ut, praeter ceteros testes, medicus a curatione affirmavit, mors imminebat. Quare infirma sacro oleo fuit inuncta, sequentique mane sacro viatico refecta. Hoc ipso die, novendialium precum pro sanitate, per B. Mariae a S. Euphrasia intercessionem, obtinenda effusarum postremo, hora prima cum dimidio post meridiem, Honorina e lecto surgere expetit, ac, dum vestibus induitur, extemplo est perfecte sanata. Libere enim graditur, scalas sine fulcimento descendit atque ascendit, fistulosum ulcus in ventre, saniem manans, nova pelle illico contegitur, cetera morbida adiuncta omnino statim depelluntur, vires perfecte instaurantur, quasi ipsa nullo umquam morbo affecta fuerit. Medicus quatuor post horas sanationem supra naturae vires aesti-

mandam esse edicit. Postridie sanata ad communem vitam revertitur, bonaque in posterum valetudine est gavisa.

De binis hisce sanationibus, quas periti medici a S. Congregatione Rituum electi miraculo tribuendas una voce edixerant, in curiis episcopalibus Parisiensi, Avenionensi et Niciensi processus apostolica auctoritate instructi sunt, quorum validitate rite recognita, de iisdem sanationibus in consuetis tribus Congregationibus stricta habita est disceptatio, in *Antepraeparatoria* nempe, in *Praeparatoria* ac demum in *Generali*, coram nobis die vigesima tertia Maii mensis, superiore anno habita, in qua a venerabili Fratre Nostro Carolo S. R. E. Cardinale Salotti, Ss. Rituum Congregationis Praefecto et huius Causae Relatore, proposito dubio an et de quibus miraculis post indultam B. Mariae a S. Euphrasia ab Apostolica Sede venerationem constaret in casu et ad effectum de quo agebatur, tum Patres Cardinales, tum Officiales Praelati et Consultores eiusdem S. Congregationis suam singuli tulerunt sententiam, quam favorabilem esse laeto animo accepimus. Nos vero de Nostro proferendo iudicio cunctandum duximus, maiorem divini luminis copiam imploraturi. Die autem quarta mensis Iunii, in festo Ssmae Trinitatis, Nostram sententiam ferre volentes, ad Nos arcessitis eodem Carolo Cardinale Salotti atque Dilectis Filiis Alfonso Carinci, S. Rituum Congregationis a Secretis, et Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, sacraque Hostia prius litata, solemniter decrevimus: *Constare de duobus miraculis a Deo per B. Mariae a S. Euphrasia intercessionem patratis, nempe de instantanea perfectaque sanatione tum puellae Mariae Aloisiae Pouget, ex Instituto a Bono Pastore, a gravissima peritonite bacillari cum affectione in dextero genu et adenitibus latero-cervicalibus; cum Honorinae Moschetti, ex eodem pariter Instituto, a gravissima peritonite tuberculari purulenta.*

Ad nobilem itaque huius Causae exitum apud Ss. Rr. Congregationem hoc unum dubium excutiendum supererat, an, scilicet, duobus miraculis rite approbatis, ad summum honorum fastigium, quibus Ecclesia praeclarissimos filios suos, qui tanta gloria digni iudicantur, augere solet, *tuto* extolli posset B. Maria a S. Euphrasia. Quod dubium in generalibus comitiis, die tertiadecima eiusdem mensis Iunii ad Vaticanas Aedes coram Nobis coactis, expensum est, atque omnes qui aderant *affirmative* responderunt. Nos tamen mentem Nostram in tam gravi negotio aperire distulimus atque adstantes admonuimus ut interea communibus fervidisque fusis precibus a Domino poscerent ut Ipse maiori Nos illustrare lumine dignaretur.

Tandem, re mature perpensa, die vigesimatertia insequentis Iulii

mensis, Dominica post Pentecostem octava, apud Nos convocatis quos supra memoravimus Carolo Cardinale Salotti, Alfonso Carinci et Salvatore Natucci, divino Missae Sacrificio antea celebrato, hanc tulimus sententiam. TUTO *procedi posse ad sollemnem B. Mariae a S. Euphrasia Pelletier, Virginis, Canonizationem.*

Ut vero sapientissimus in tanti momenti re a Praedecessoribus Nostris constitutus ordo servaretur, primum venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales die undecima mensis Decembris eodem anno in Consistorio *secreto* apud Nos coëgimus, in quo praefatus Cardinalis Salotti brevem habuit sermonem de vita, virtutibus et miraculis tum B. Mariae a S. Euphrasia Pelletier, tum B. Gemmae Galgani, virginis saecularis Lucensis, atque acta universa recensuit ad earumdem Canonizationis Causam pertinentia. Qua relatione expleta, singuli qui aderant Patres Cardinales, a Nobis rogati, sua suffragia tulerunt. Deinde septima die proxime praeteriti Martii mensis Consistorium publicum celebravimus, et in eo dilecti Filii Consistorialis Aulae Advocati Augustus Milani de B. Maria a S. Euphrasia Pelletier, et Aloysius Philippus Re de B. Gemma Galgani disertam habuerunt orationem atque a Nobis postularunt ut Beatis ipsis Sanctorum coronam imponere dignaremur. Quibus precibus respondimus id et Nos vehementer exoptare; sed, antiquarum Apostolicae Sedis consuetudinum custodes religiosissimi, de gravissima hac Causa ante decernere nolle, quam in Consistorio semipublico, quod vocant, tum Patres Cardinales iterum, tum Sacrorum Antistites, re diligenter cognita, suam possent Nobis mentem aperire. Mandavimus itaque singulis Antistitibus illis de Beatarum illarum vita, virtutibus et miraculis atque de actis in earum Causis legitimos mitti commentarios. Omnes denique admonuimus ut interim Spiritus Sancti lumen, precibus adhibitis, menti Nostrae pientissime conciliarent.

Diem vero quartam insequentis mensis Aprilis ad Consistorium illud celebrandum praefiximus. Qua die Patres Cardinales et Sacrorum Antistites, qui in Urbe aderant, apud Nos congregatos breviter prius allocuti, quid de propositis Causis sentirent, Nobisque singillatim significare vellent ab illis exquisivimus. Cum autem idem omnes sentire professi sint, Beatas nempe illas Sanctorum diademate sine mora decorandas esse, Nos nihil amplius cunctandum duximus ut ad earum Canonizationem deveniremus.

Quam in Vaticana Basilica celebrandam die statuimus secunda proximi Maii mensis in festo, scilicet, Ascensionis D. N. I. C. Universos autem adhortati sumus ut ferventes non intermitterent preces, ne Nobis in tam gravi Nostri muneris parte Spiritus Sancti luminis gratia deesset.

De quibus ut publicum conficerent instrumentum dilectus Filius Sacrarum Caeremoniarum Magister, Procuratoris Fiscalis nomine, Protonotarios Apostolicos adstantes consueta forma rogavit.

Cum itaque faustissima illa a Nobis praestituta dies illuxit, omnes tum regularis tum saecularis cleri Ordines, Romanae Curiae Praesules et Officiales una cum Abbatibus, Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, S. R. E. Cardinalibus, qui in Urbe aderant, in Vaticanam Basilicam magnifico nitentem apparatu et pluribus stipatam fidelium millibus, quos inter plurimi ex Etruriae Dioecesibus, ex Lucensi potissimum, ac non paucae Instituti a *Bono Pastore* sodales convenerunt. Illis autem, pia supplicatione praeeuntibus, in eamdem Basilicam Nos quoque sollemni pompa ingressi sumus, atque, adorato prius Ssmae Eucharistiae Sacramento, ad Nostram perreximus cathedram, ibique sedimus. Tum venerabilis Frater Noster Carolus, Episcopus Praenestinus, S. R. E. Cardinalis Salotti, S. Rituum Congregationis Praefectus et hisce Canonizationibus procurandis praepositus, per dilectum Filium Augustum Milani, Nostrae Consistorialis Aulae Advocatum, vota Nobis precesque *instanter* detulit ut Beatas Mariam a S. Euphrasia Pelletier et Gemmam Galgani, Virgines, supremis Sanctitatis honoribus augere dignaremur. Quod cum, B. Mariae Virginis et Sanctorum omnium patrocinio invocato atque Paracliti Spiritus lumine implorato, *instantius* prius, *instantissime* deinceps, idem Cardinalis per eumdem Consistorialem Advocatum a Nobis postulasset, Nos denique ex Divi Petri Cathedra, supremus universae Ecclesiae Magister, hanc definitivam sententiam sollemniter protulimus:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac nostra, matura deliberatione praehabita, et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatas Mariam a Sancta Euphrasia Pelletier et Gemmam Galgani Sanctas esse decernimus et definimus ac Sanctorum catalogo adscribimus; statuentes ab Ecclesia universali illarum memoriam quolibet anno die earum natali, nempe Beatae Mariae a S. Euphrasia Pelletier die vigesima quarta Aprilis, et Beatae Gemmae die undecima Aprilis, inter Sanctas Virgines non Martyres pia devotione recoli debere. In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Qua Canonizationis formula pronunciata, precibus a praefato Consistoriali Advocato eiusdem Cardinalis Procuratoris nomine Nobis obla-

tis annuentes, Decretales hasce sub plumbo Litteras Apostolicas expediri iussimus; atque ut ab adstantibus Protonotariis Apostolicis ad perpetuam rei memoriam instrumenta conficerentur mandavimus.

Gratiis porro ob tantum beneficium una cum universo clero et populo Onnipotenti Deo peractis, novensilium Sanctarum apud Deum patrocinium Nos primi invocavimus.

Fideles postea homilia allocuti sumus, in qua hodiernae festivitatis occasionem nacti, eos adhortati sumus ut considerare vellent Christi Ascensionem in tot rerum adversis quibus premimur non solum omnium nostrum animos afficere solacio, sed etiam spem exacuere atque adaugere coelestis assequendae beatitatis.

Breve dein duarum Sanctarum Virginum contexuimus elogium, ostendentes et ad imitandum proponentes peculiarem quandam in utraque Virgine virtutis laudem, quasi propriam sanctitatis notam, in Maria, nempe, a S. Euphrasia Pelletier christianam animi fortitudinem, per quam, gravissimis licet difficultatibus obiectis, tam praeclara facinora in Dei gloriam animarumque salutem edere potuit; in Gemma autem Galgani ardentem in Divinum Redemptorem cruci affixum amorem, a quo tam ferebatur ut nihil antiquius haberet, nihil dulcius quam, procul ab humanarum rerum strepitu, sanctissima Iesu Christi vulnera meditari Eiusque acerbis cruciatibus affici.

Qua homilia perlecta, Apostolicam benedictionem et plenariam indulgentiam adstantibus peramanter impertivimus; atque mox ad altare accessimus, pontificale sacrum sollemni ritu celebraturi.

Queste virtù dell'umiltà e della carità, che trionferanno alla consumazione dei secoli, allorchè Cristo esalterà gli umili e premierà i caritatevoli, non sono nemiche o indecorose alla dignità umana, nè diminuiscono l'amore della patria, nè scemano il valore o impediscono al cittadino, che in una guerra veramente giusta lotta per la difesa, l'onore e la salute del suo Paese, di combattere con piena fortezza contro un avversario armato a superarlo. Ma la carità, benefica com'è, non gode dell'iniquità neppure sui campi di battaglia e nelle vicende più dure: essa vieta a chi combatte di infierire contro innocenti o di punire i colpevoli oltre i limiti della giustizia, e lo premunisce contro quel sentimento interno che S. Agostino riprovava scrivendo: *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque impacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si qua similia; haec sunt quae in bellis iure culpantur.*[11]

In quest'ora di fermenti di mali che sembrano superare i fermenti del bene, e aver tramutato il *tempus dilectionis* in *tempus odii;*[12] in questa stagione di bufera che dà vertigini e tante cose fa dimenticare, nel tremendo vortice del cozzo delle passioni; ecco, diletti figli e figlie, la grande lezione di Cristo, Maestro delle genti, in voi speranza di gloria, che dovete far comprendere e richiamare intorno a voi, con leale e non pavida affermazione della vostra fede cattolica, e più ancora con l'esempio della vostra vita, umile e caritatevole in tutto lo splendore della sua alta

[11] *Contra Faustum*, l. 22, c. 74; MIGNE, *P. L.*, t. 42, col. 447.

[12] Eccles., III, 8.

cultura e della sua irradiazione scientifica. Umile con la franca e aperta cordialità e l'oblio di voi stessi nei vostri rapporti, con coloro soprattutto che la Provvidenza ha destinati a posizione più modesta; umile anche con filiale e fiduciosa sommessione alle Autorità Ecclesiastiche, rappresentate presso di voi dai vostri benemeriti Assistenti, che vi aiutano e vi guidano nel compimento della vostra bella e difficile missione. Con l'umiltà e la carità, vita del cuore, che trionfa sempre nel corso del secolo e di là dal secolo per trionfare alla consumazione dei secoli: carità che vi unisce in Cristo per l'opera comune ardentemente amata; carità che vi lega fraternamente, in una confidente collaborazione, con tutti gli altri rami dell'Azione cattolica; carità che, oltrepassando ogni differenza di condizioni, si estende ed effonde larga, illuminatrice e benefica a tutti coloro che vi circondano, nell'Università, nella scuola, nell'ufficio, come nell'esercizio della vostra professione, a quanti vi invia o vi dà accesso il vostro dovere o il vostro zelo.

Questo programma, Noi ben sappiamo, Noi ce ne rallegriamo e compiacciamo con voi, diletti figli e figlie, è il vostro degno e santo proposito, che vi applicate e impegnate di raffermare e attuare con tanto felice successo nelle vostre riunioni di pietà e di studio, nella vostra operosità e nelle vostre pubblicazioni. Affinchè la grazia divina, sempre pronta ad aiutare e perfezionare l'opera della vostra mente e del vostro cuore, vi conceda di far più e più efficacemente splendere negli atti e nelle parole il vostro alto e nobilmente cristiano intento, con paterno affetto vi accordiamo per voi e per le vostre opere, per le vostre famiglie e per tutte le persone che vi sono care, la Nostra Apostolica Benedizione.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

DE NIANGARA-DE BONDO

DECRETUM

DISMEMBRATIONIS ET UNIONIS

Ad catholicam fidem aptius in Congi Belgici finibus prolatandam Ordinarius Vicariatus Apostolici de Niangara, Patribus ex Ordine Fratrum Praedicatorum concrediti, et Ordinarius Vicariatus Apostolici de Bondo, Patribus ex Ordine Sanctae Crucis commissi, enixas huic Sacrae Congregationi preces detulerunt ut totius subdivisionis administrativae civilis (vulgo Chefferie) de Solo territorium Vicariatui Apostolico de Bondo adderetur.

Quapropter Emi ac Revmi Patres, huic Sacrae Congregationi Christiano Nomini Propagando praepositi, in plenariis comitiis, die 31 martii mensis vertentis anni habitis, re mature perpensa atque attento favorabili voto Excmi P. D. Ioannis Dellepiane, Archiepiscopi titularis Stauropolitani, Apostolici in Congo Belgico Delegati, territorium de quo supra, a Vicariatu Apostolico de Niangara distrahendum et Apostolico Vicariatui de Bondo adnectendum esse censuerunt, ita ut deinceps ipsum territorium, vulgo « Chefferie » de Solo nuncupatum, totum Vicariatui Apostolico de Bondo obnoxium maneat atque limites inter Vicariatus de Niangara et de Bondo hac in regione iidem ac pro memorata « Chefferie » de Solo statuti habeantur.

Quam Emorum Patrum sententiam, in audientia diei 3 Aprilis mensis statim insequentis ab infrascripto Emo P. D. huius Sacrae Congregationis Cardinali Praefecto Ssmo D. N. Pio div. Prov. Papae XII relatam, Ipse Summus Pontifex, benigne excipiens, ratam habere et confirmare dignatus est, atque praesens Decretum confici iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 3 Aprilis mensis, anno Domini 1941.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Celsus Costantini, Archiep. tit. Theodos., *Secretarius*.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

ROMANA seu VARSAVIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI MARIAE A IESU DE BONO PASTORE, IN SAECULO FRANCISCAE DE SIEDLISKA, FUNDATRICIS INSTITUTI SACRAE FAMILIAE A NAZARETH.

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Zelus domus Domini comedit, consumpsit, ussit, affecitque dolore cor Servae Dei Mariae a Iesu Bono Pastore, eamque ad grandia pro Dei gloria proximique salute exantlanda per totam eius vitam vehementer impulit. Re sane vera; e nobili Siedliska progenie die 12 Novembris mensis a. D. 1842, in loco Roszkowa Wola, in Varsaviensi archidioecesi, nata, die 20 mensis eiusdem sacris baptismi aquis regenerata fuit, impositis nominibus: Francisca, Anna, Iosepha. Animum sortita bonum, etsi parentes ambo a catholica colenda religione alieni fuerunt, Dei gratia praeventa, veluti intimo instinctu mota, erga pietatem proclivis adolevit. Optimum e Fratrum Capulatorum Ordine sacerdotem christiani catechismi suique spiritus moderatorem feliciter nacta, sub tali magistro pietati mire succrevit. Divina dape refecta, sacroque chrismate delibuta, ampliores in perfectionis semita progressiones fecit. Honestas licet, pluries ei a patre propositas nuptias fortissime respuit, quod ipse aegerrime ferens, eam a frequentanda ecclesia prohibuit, atque ab eodem spiritus moderatore removit. Moerore afflicta, dolore pressa, animi sui angores, Deo confisa, pro suorum parentum salute offerebat, quos paucis annis post Deo reconciliatos gavisa est videre. Divinam voluntatem anxie exquirens, orationibus, paenitentiaeque operibus vacare non destitit. A pluribus gravibusque infirmitatibus mirabiliter sanata, quid a se faciendum Deus vellet certis argumentis edocta, toto animo, a nullis deterrita difficultatibus, Romae, quasi sub Summi Pontificis oculis, novum religiosum Institutum constituit, cui a Sacra Nazarethana Familia nomen indidit; quod a Pio IX, primo eius fautore, die 1 Octobris anno 1873, pluries

quoque a Leone XIII benedictum, anno 1896 a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium decretum *Laudis* emeruit, per Sacrae vero Congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae decretum, die 2 Augusti anno 1909 latum, approbatum fuit; approbatae quoque eodem die per quinquennium eius Constitutiones fuere. Servae Dei quaenam fuerit mens in hac familia condenda, sic a Sacra Congregatione in decreto *Laudis* effertur : « Praeter propriam sanctificationem per assiduum vitae activae et contemplativae studium assequendam, nec non per consueta obedientiae, paupertatis et castitatis simplicia vota, quae prius ad tempus, et dein in perpetuum emittunt; specialem finem habent : nempe utriusque sexus pueros, praecipue pauperes, christianis moribus imbuunt, eisque sacram catechesim explanant; orphanos in propriis asylis instituunt; pueros ac feminas infirmas in suis hospitalibus nulla soluta mercede solantur; mulieres ut spiritualibus exercitiis vacent, in proprias domos recipiunt; nec non ad exteras Missiones ... lubenti hilarique animo pergunt ... ».

Hoc autem institutum late per orbem, in Polonia praesertim et in boreali America, Servae Dei opera propagatum, laetos uberrimosque salutis animarum fructus Ecclesiae affert. Maria a Iesu Bono Pastore, quod nomen Francisca in religione assumpserat, sollicita mater, non solum sapientibus epistolis suas filias ad viam religiosae perfectionis impellebat, sed etiam saepissime, huc illuc per diversas regiones discurrens, instituti domos invisens, ut sorores in humilitatis, simplicitatis atque caritatis sanctae Familiae spiritu formarentur, neque abusus irreperent, verbo quidem, maxime vero exemplo, vigilantissima fortiter suaviterque curabat.

Laboribus morboque fracta, sacramentis omnibus ex Ecclesiae instituto procurata, circumsepta flentium filiarum suarum corona, eas ad caritatem cohortata, *in domum Domini ibimus* atque dulcissima *Iesu, Mariae, Ioseph* nomina levissime murmurans, die 21 Novembris a. 1902, in alma hac Urbe excessit e vita.

Sanctitatis fama, qua vivens honestabatur, post eius obitum magis magisque erupit. Quare Romae Ordinaria auctoritate iuridicae inquisitiones annis 1922-1927 peractae sunt; rogatoriales vero in Curiis Cracoviensi, anno 1923, Parisiensi anno 1925, Westmonasteriensi anno 1926 et Chicagiensi annis 1925-27. Revisione scriptorum peracta, die 27 Novembris anno 1937 nihil obstare decretum est quominus ad ulteriora procedi posset.

Quare, instante R. P. D. Ioanne Bressan, Protonotario Apostolico, Canonico Vaticano, Causae Postulatore, attentis quoque Postulatoriis

litteris quatuor S. R. E. Cardinalium, plurium Archiepiscoporum et Episcoporum aliorumque, Beatissimo Patri porrectis, Emus ac Revmus D. Cardinalis Alexander Verde, Causae Ponens seu Relator, in ordinaria sacrorum Rituum Congregatione die 3 huius mensis ad Vaticanas aedes habita, dubium proposuit discutiendum: *An signanda sit Commissio Introductionis Causae, in casu et ad effectum de quo agitur.* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi post relationem Emi Ponentis, auditis quoque Officialium Praelatorum suffragiis scripto datis, nec non R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, omnibus mature perpensis, rescribendum censuere: *Affirmative,* nempe: *Signandam esse Commissionem Introductionis Causae si Sanctissimo placuerit.*

Hodierna vero die de his Sanctissimo Domino Nostro per subscriptum Cardinalem facta relatione, Sanctitas Sua rescriptum Eminentissimorum Patrum ratum habens, Commissionem Introductionis Causae Beatificationis Servae Dei Mariae a Iesu Bono Pastore, in saeculo Franciscae de Siedliska, fundatricis Congregationis Sacrae Familiae a Nazareth, propria manu signare dignata est.

Datum Romae, die 4 Decembris a. D. 1940.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praenestinus, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

VERULANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI MARIAE FORTUNATAE VITI, MONIALIS CONVERSAE PROFESSAE ORDINIS S. BENEDICTI.

Super dubio

An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Famulae Dei Mariae Fortunatae totam vitam perpendentis animum illa Sapientis verba subeunt: *Quasi flos rosarum in diebus vernis et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae... quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Ea enim in s. Benedicti viridario quasi rosa et lilium caritate, humilitate et simplicitate suaviter oluit; animam autem suam,

puro auro similem, virtutibus, quae religiosam feminam decent, veluti pretiosis lapillis ornavit.

Die 10 Februarii mensis anno Domini 1827, ex Aloisio Viti et Anna Bono, Verulis nata est; diebus autem quattuor post, sacris fuit abluta aquis, imposito Annae Felicis nomine; anno autem 1832 sacro Chrismate fuit linita. Prima religiosae vocationis indicia Serva Dei se percepisse, quando ad sacram mensam primitus accessit, est fassa. Quod caeleste semen in anima sua insitum diligenter colere studuit. Vix quattuordecim annos Anna Felix expleverat, quum mater, aerumnis confecta, pie e vita migravit. Viginti post menses Agnes, eius germana soror, s. Benedicti institutum est amplexa, patris reliquorumque septem fratrum cura Annae relicta. Veluti mater amantissima, munus hoc quasi a Deo sibi impositum maxima diligentia explevit, quin divinae vocationis oblivisceretur. Quare vix dum ei datum est familiae curam alteri sorori committere, ut sibi necessaria ad vitam religiosam capessendam compararet, suisque quantum potuisset provideret, optimae familiae in viciniis per fere triennium est ancillata.

Quartum supra vicesimum annum agens, die Sancto Patriarchae Benedicto sacra a Monialibus monasterii s. Mariae de Franconibus, Verulis, excepta est, sequenti autem anno, suscepto Mariae Fortunatae nomine, die 22 Augusti uti Soror Conversa tirocinium posuit. In quo tam laudabiliter se gessit, ut digna fuerit habita, quae, die B. M. V. Nativitati dicata, anno 1853 sollemnem professionem in Ordine s. Benedicti nuncuparet.

In humili monialis Conversae statu, in quo maluit permanere quam chorista fieri, munia omnia, sibi quasi a Deo commissa, perfecte est exsecuta, omnium virtutum insignia specimina praebens. Humilitate enim, simplicitate, obedientia, patientia in adversis atque in morbis perferendis, caritate cum in Deum tum in consorores per totum vitae cursum emicuit. *Volo sancta fieri* ab initio religiosae vitae sibi proposuit, propositumque, ut videtur, servavit. *Ora et labora* est monitum, quod s. Benedicti Ordo a legifero Patriarcha accepit; Soror Maria Fortunata hoc uti sibi praeceptum ad unguem est exsecuta. Nunquam enim otiata est, numquam ab oratione spiritum relaxavit.

Senectute magis quam morbis fracta, die 20 Novembris anno 1922, morientium sacramentis refecta ad caelestem Sponsum evolavit.

Communibus tum civium, cum monialium votis morem gerens, Verulanus Episcopus annis 1934-1936 sua auctoritate informativum processum super sanctitatis fama, super scriptis atque super obedientia Urbani VIII legi cultum Servi Dei vetanti, instituit complevitque.

Plures interim postulatoriae litterae tum Pio XI s. m. tum Ssmo D. N. Pio Pp. XII oblatae sunt, Causae Introductioni faventes, inter quas duorum S. R. E. Cardinalium, plurium Archiepiscoporum et Episcoporum, Abbatum O. S. B., Capituli Cathedralis Verulanae aliorumque, quin imo clarissimi quoque Viri, qui principem eiusdem civitatis magistratum obtinet.

Servatis itaque de iure servandis, Revmo D. Gabriele Locher O. S. B. Causae Postulatore instante, in ordinariis S. R. C. comitiis die 28 elapsi mensis in Vaticanis aedibus de more habitis, subscriptus Cardinalis S. R. C. Praefectus atque Causae Ponens seu Relator, dubium posuit disceptandum: *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.* Emi ac Revmi Patres, audita Cardinalis eiusdem relatione, auditis Officialium Praelatorum votis scripto latis, nec non R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, omnibus mature perpensis, rescribendum censuere: *Affirmative,* nempe: *Signandam esse Commissionem Introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.*

Facta autem, subsignata die, Ssmo D. N. Pio Papae XII ab infrascripto Cardinali relatione, Sanctitas Sua rescriptum Emorum Patrum ratum habens *Commissionem Introductionis Causae Servae Dei Mariae Fortunatae Viti* manu propria obsignavit.

Datum Romae, die 5 Februarii a. D. 1941.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praenestinus, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

I

VENTIMILIEN.

NULLITATIS MATRIMONII (RAIMONDI-LOMBARDO)

Cum ignoretur locus actualis commorationis D. Aloysii Lombardo, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, via della Dataria, 94) die 29 Iulii 1941, hora XII, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione:

An constet de matrimonii nullitate in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Aloysii Lombardo, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

Arcturus Wynen, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 24 Aprilis 1941.

Ioannes M. Pinna, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mr Louis Lombardo, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, via della Dataria, 94) le 29 Juillet 1941, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessus rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Mr Louis Lombardo devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

II

DE PERAMIHO

NULLITATIS MATRIMONII (LANDULIRA-NDUNGURU)

In causa de qua supra, citamus Dñam Elphinam Ndunguru, conventam, ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, via della Dataria, 94), die 4 Octobris 1941 hora 10, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione :

An constet de matrimonii nullitate in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedictae Elphinae Ndunguru curare debent, ut de hac edictali citatione ipsa moneatur. *

Albertus Canestri, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 26 Aprilis 1941.

Ioannes M. Pinna, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mme Elphine Ndunguru défenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, via della Dataria, 94) le 4 octobre 1941, à 10 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessus rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de la dite Elphine Ndunguru devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO
AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Emi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I – DE IURE FUNERANDI

D. An sub verbis canonis 1233 § 1: *clerici ... ipsi ecclesiae addicti,* veniant etiam ecclesiae cathedralis vel collegialis capitulares, qua tales.

R. Negative.

II – DE SEPARATIONE CONIUGUM

D. An causae separationis coniugum recensendae sint inter causas nunquam transeuntes in rem iudicatam, de quibus in canonibus 1903 et 1989.

R. Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 8 Aprilis, anno 1941.

M. Card. MASSIMI, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 22 aprile 1941, nel Palazzo delle Congregazioni a S. Callisto, alla presenza di Sua Eminenza Revma il Signor Cardinale Gennaro Granito Pignatelli di Belmonte, Vescovo di Ostia ed Albano, Ponente o Relatore della Causa di beatificazione della Serva di Dio Paolina Maria Jaricot, fondatrice delle Opere della Propagazione della Fede e del Rosario vivente, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *antepreparatoria,* nella quale i Revmi Prelati Officiali e Consultori teologi hanno discusso sulla eroicità delle virtù della stessa Serva di Dio.

Martedì, 29 aprile 1941, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *preparatoria,* con l'intervento degli Emi e Revmi Signori Cardinali, dei Revmi Prelati Officiali e Consultori teologi, per discutere sulla eroicità delle virtù del Ven. Servo di Dio Gerolamo Terzo, di Gesù, Maria e Giuseppe, laico professo dell'Ordine dei Carmelitani dell'Antica Osservanza.

Martedì, 6 maggio 1941, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *preparatoria,* con l'intervento degli Emi e Revmi Signori Cardinali, dei Revmi Prelati Officiali e Consultori teologi, i quali hanno discusso su due miracoli che si asseriscono operati da Dio ad intercessione del Beato Giovanni de Britto, martire, della Compagnia di Gesù, e che vengono proposti per la sua canonizzazione.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato in data 28 aprile 1941, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare Sua Ecc. Revma Monsig. Antonino Arata, Arcivescovo titolare di Sardi, *Consultore della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari* e *Membro della Pontificia Commissione per la Russia.*

Parimenti con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

23 novembre 1939. Monsig. Giuseppe Campolongo, della diocesi di San Marco e Bisignano.
12 febbraio 1940. Monsig. Angelo Bonomo, dell'archidiocesi di Benevento.
» » » Monsig. Raffaele Cataldo, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Domenico Cerza, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Coscia, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Agostino De Matteis, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Fina, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Luigi Lombardi, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Marotti, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Pasquale Mazzei, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Antonino Parrella, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Salvatore Scapaticci, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Giovanni Vitale, della medesima archidiocesi.
7 marzo » Monsig. Giovanni Frisnyák, della diocesi di Cassovia.
» » » Monsig. Alessandro Stumpf, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giulio Szilagyi, della medesima diocesi.
27 giugno » Monsig. Biagio Rotondano, del Patriarcato di Lisbona.
15 novembre » Monsig. Giuseppe Upponyi, della diocesi di Rosnavia.
9 gennaio 1941. Monsig. Domenico D'Sa, dell'archidiocesi di Bombay.
» » » Monsig. Emanuele D'Sa, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Giuseppe D'Angelo, della diocesi di Agrigento.
» » » Monsig. Vincenzo Barale, dell'archidiocesi di Torino.
» » » Monsig. Aurelio Morello, della medesima archidiocesi.
16 » » Monsig. Franco Gardinazzi, della diocesi di Cremona.
13 febbraio » Monsig. Vincenzo Piccione, della diocesi di Noto.
20 » » Monsig. Giovanni Ramella, della diocesi di Biella.
» » » Monsig. Antonio Buffolano, dell'archidiocesi di Capua.
» » » Monsig. Ernesto Mirra, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Umberto Rauso, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Alexis Demurger, della diocesi di Little Rock.
» » » Monsig. Edoardo P. Garrity, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Tommaso L. Keany, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giovanni Battista Scheper, della medesima diocesi.
6 marzo » Monsig. Adelindo Colzi, dell'archidiocesi di Firenze.
» » » Monsig. Paolo Pratelli, della medesima archidiocesi.

» » » Monsig. Antonio Meszlényi, dell'archidiocesi di Strigonia.
» » » Monsig. Ernesto Némethy, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Davide Corino, dell'archidiocesi di Torino.
» » » Monsig. Cataldo Tota, dell'archidiocesi di Trani.
12 » » Monsig. Armando Martillotti, dell'archidiocesi di Napoli.
» » » Monsig. Carlo Martini, della diocesi di Piacenza.
13 » » Monsig. Aldo Valentini, della diocesi di Carpi.
» » » Monsig. Sebastiano Trigilio, dell'archidiocesi di Napoli.
» » » Monsig. Tito Pagni, dell'archidiocesi di Pisa.
» » » Monsig. Antonio Vaškovič, della diocesi di Prešov.

Camerieri Segreti Soprannumerari di Spada e Cappa di S. S.:

9 marzo 1939. Il sig. Marchese Giacomo Pallavicini, dell'archidiocesi di Genova.
» » » Il sig. Barone Uriel Raitz von Frentz, della diocesi di Berlino.
6 » 1941. Il sig. Giuseppe Porcelli, della diocesi di Tolentino.
» » » Il sig. Vincenzo Porcelli, della medesima diocesi.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

12 febbraio 1940. Monsig. Giovanni De Guglielmo, dell'archidiocesi di Benevento.
» » » Monsig. Mario Fusco, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Vincenzo Velardi, della medesima archidiocesi.
13 » 1941. Monsig. Giovanni Crescioli, della diocesi di Borgo San Sepolcro.
20 » » Monsig. Filippo Petrelli, della diocesi di Capaccio-Vallo

Camerieri d'onore extra Urbem *di S. S.:*

13 febbraio 1941. Monsig. Giovanni Grosso, della diocesi di Ivrea.
13 marzo » Monsig. Gino Simonelli, dell'archidiocesi di Pisa.
3 aprile » Monsig. Giovanni Sciannelli, della diocesi di Andria.

Camerieri d'onore soprannumerari di Spada e Cappa di S. S.:

6 marzo 1941. Il sig. Mario Dotti, dell'archidiocesi di Ferrara.
» » » Il sig. Gioacchino Nicolini, della diocesi suburbicaria di Palestrina.

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
ANNUARIO PONTIFICIO per l'anno 1941. — Ritratto di S. S. Pio XII. Pag. 1391, legato in tela, titolo oro	40 —	40 —	45 —
NASALLI-ROCCA DE CORNELIANO MARIUS. **CONCORDATORUM PII XI P. M. CONCORDANTIAE.** Un volume in-8° grande, di VIII-304 pagine	50 —	53 —	58 —
MICELI Sac. GIOVANNI. **LE DISPENSE MATRIMONIALI.** In-16°, pagine 296	9 —	9,60	11 —
BELARDO MARIUS. **De Iuribus S. R. E. Cardinalium in titulis.** In-8°. pp. 82	8 —	8 —	10 —
CARUSI ENRICO. **Lettere inedite di Gaetano Marini.** III. Appendici; **Due lettere a G. A. Zanetti; Lettere di Giovanni Fantuzzi a G. A. Marini.** Pp. XXXVIII-169 (*Studi e Testi*, n. 83)	70 —	71,50	75 —
ANDRIEU MICHEL. **Le Pontifical Romain au Moyen-Age.** Tome III. **Le Pontifical de Guillaume Durand.** Pp. XX-691 (*Studi e Testi*, n. 88) . .	200 —	200 —	210 —
MERCATI Card. GIOVANNI. **Ultimi contributi alla storia degli umanisti.** — Fascicolo I. **Traversariana.** Dieci lettere nuove del B. Ambrogio Camaldolese e varie osservazioni sull'epistolario di lui pubblicate per il V centenario della morte; seguono alcune lettere di Andrea (Fiocchi) da Firenze segretario apostolico (*Studi e Testi*, n. 90). Pp. VIII-143.	60 —	62 —	64 —
— Fascicolo II. **Note sopra A. Bonfini, M. A. Sabellico, A. Sabino, Pescennio Francesco Negro, Pietro Summonte e altri** (*Studi e Testi*, n. 91). Pp. XII-128-85* ed una tavola.	80 —	82 —	85 —
LEVI DELLA VIDA GIORGIO. **Ricerche sulla formazione del più antico fondo dei manoscritti orientali della Biblioteca Vaticana.** 1939. Pp. VIII-528. 21 tav. (*Studi e Testi*, n. 92)	160 —	160 —	170 —
DEVREESSE ROBERT. **Le commentaire de Théodore de Mopsueste sur les Psaumes (I-LXXX).** 1939. Pp. XXXI (1) 572 (*Studi e Testi*, n. 93).	220 —	220 —	232 —
TANNERY P. **Quadrivium de Georges Pachymère ou** *ΣΥΝΤΑΓΜΑ ΤΩΝ ΤΕΣΣΑΡΩΝ ΜΑΘΗΜΑΤΩΝ ἀριθμητιχῆς, μουσιχῆς, γεωμετρίας καὶ ἀστρονομίας.* Texte revisé et établi par le R. P. E. Stéphanou A. A. (*Studi e Testi*, n. 94). Pp. CIV-460	250 —	250 —	260 —
MERCATI Card. GIOVANNI. **Nuove note di letteratura biblica e cristiana antica.** Pp. VIII-160 e 4 tavole (*Studi e Testi*, n. 95).	80 —	81,50	85 —
CODICIS IURIS CANONICI FONTES, cura Emi PETRI Card. GASPARRI, in-8°.			
Vol. I. **Concilia generalia - Romani Pontifices,** usque ad annum 1745 (n. 1-364), pp. XVI-954	65 —	68 —	75 —
Vol. II. **Romani Pontifices,** ab anno 1746 ad annum 1885 (n. 365-544), pp. XII-1012	70 —	73 —	80 —
Vol. III. **Romani Pontifices,** ab anno 1867 ad annum 1917 (n. 545-713), pp. XII-870	65 —	68 —	75 —
Vol. IV. **Curia Romana,** S. C. S. Off. - S. C. Ep. et Reg. (n. 714-2055), pp. XXXII-1117	85 —	88,50	97 —
Vol. V. **Curia Romana,** S. C. Consistorialis - S. C. de Sacramentis - S. C. Concilii (n. 2056-3704), pp. XL-1116	85 —	88,50	97 —
Vol. VI. **Curia Romana,** S. C. Concilii, an. 1761-1917 - S. C. super statu Regul. - S. C. de Religiosis (n. 3705-4427) pp. XX-1034	80 —	83,50	92 —
Vol. VII. **Curia Romana,** S. C. de Propaganda Fide - S. C. Indulg. - S. C. Indicis - S. R. C. - An. 1588-1790 (n. 4428-5822) pp. XXXVI-1060	80 —	83,50	92 —
Vol. VIII. **Curia Romana,** cura et studio Emi Iustiniani Cardinalis Serédi editi (n. 5823-6464). In-8°, pp. XX-620 . . .	65 —	68 —	72 —
Vol. IX. **Tabellae,** pp. XXVIII-311	40 —	42 —	45 —
Legati in pelle e tela nera (o rossa) con punte di pelle, testa rossa lucida, titolo, nervi al dorso, ciascun volume aumenta di L. 20.			

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"**
(Libreria Vaticana - Città del Vaticano — °/₀ postale N. 1-16722)

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
S. ROMANAE ROTAE DECISIONES seu SENTENTIAE cura eiusdem S. Tribunalis editae, in-8°			
Vol. XV, pp. IV-348, anno 1923	50 —	53 —	58 —
Vol. XVI, pp. VIII-452, anno 1924	50 —	53 —	58 —
Vol. XVII, pp. VIII-462, anno 1925	50 —	53 —	58 —
Vol. XVIII, pp. VIII-460, anno 1926	50 —	53 —	58 —
Vol. XIX, pp. VIII-580, anno 1927	50 —	53 —	58 —
Vol. XX, pp. VIII-540, anno 1928	50 —	53 —	58 —
Vol. XXI, pp. VIII-586, anno 1929	50 —	53 —	58 —
Vol. XXII, pp. VIII-730, anno 1930	50 —	53 —	58 —
Vol. XXIII, pp. VIII-572, anno 1931	50 —	53 —	58 —
Vol. XXIV, pp. VIII-604, anno 1932	60 —	63 —	69 —
OTTAVIANI Sac. ALAPHRIDUS. **INSTITUTIONES IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI.**			
Vol. I. **Ius publicum internum** (Ecclesiae constitutio socialis et potestas). Editio altera emendata et aucta, 1935. In-8°, pp. VIII-510	27 —	28,50	32 —
Vol. II. **Ius publicum externum**, pp. 540	28 —	29,50	33 —
OTTAVIANI Sac. ALAPHRIDUS. **COMPENDIUM IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI AD USUM AUDITORUM S. THEOLOGIAE.** In-8°, pp. VIII-526	20 —	21,50	25 —
CODEX IURIS CANONICI Pii X Pontificis Maximi iussu digestus, Benedicti Papae XV auctoritate promulgatus, praefatione Emi Petri Cardinalis Gasparri et indice analytico-alphabetico auctus. MCMXL. Editio in-32° (cm. 8×12) linteo contectum (gr. 170) (T)	21 —	21,50	22,50
L'IMITAZIONE DI CRISTO tradotta e distribuita in lettura per ciascun giorno dell'anno con risoluzioni pratiche, ed in fine esercizi di pietà estratti dall'Imitazione stessa dal P. GIOVANNI LOTTINI, O. P. Seconda edizione, 1940. Cartonato	6,50	7 —	8 —
— Legato in tela, taglio rosso-lucido	10 —	10,50	11 —
— Legato in pelle, taglio oro	21,50	22 —	23 —
DELLA IMITAZIONE DI CRISTO. LIBRI QUATTRO. Versione riveduta sul testo genuino - Proemio - Preghiere - Meditazioni - Letture, a cura del P. D. PLACIDO TOMMASO LUGANO, O. S. B., Abate di S. Maria Nova di Roma. - Pp. LII-400. In carta indiana, legato in tela, titolo in oro, cm. 11×7,5 (grammi 70)	7 —	7,50	8 —
MASSIMI Card. MASSIMO **LA NOSTRA FEDE. Le basi e la sintesi del domma cattolico.** In-12°, pp. 321 (Quinta edizione)	9,50	10,50	12 —
MASSIMI Card. MASSIMO **LA NOSTRA LEGGE. Le basi e la sintesi della morale cattolica.** In-12°, pp. 320	9,50	10,50	12 —
Esposizione breve e chiara della dottrina cattolica per le persone colte.			
RITUALE ROMANUM. *Editio typica.* Carta indiana. Luce della stampa mm. 125×76. Peso gr. 240. In-18° Stampa rosso-nero, con riquadratura rossa alle pagine. - Sciolto	17 —	19 —	20 —
— (A) Legato in tela nera, *taglio rosso* e busta	23 —	25 —	26 —
— (B) Legato in tela nera, *taglio dorato* e busta	24 —	26 —	27 —
— (C) Legato in pelle zigrino nera, *taglio rosso* e busta	32,50	34,50	35,50
— (D) Legato in pelle zigrino nera, *taglio dorato* e busta	35 —	37 —	38 —

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"**
(Libreria Vaticana - Città del Vaticano — c/c postale N. 1-16722)